

sica maximè distinguitur, cum causalitas causæ Physicæ in gene-  
re est verus ac realis influxus. Per realem autem influxum seu  
per rō realiter influere non indigitatur, ut nonnullis placet, quo-  
cunque modo alteri esse dare ac communicare, sed significat im-  
mediate aliquid Entitatis vel Essentia numero à se diversum com-  
municare. Propterea redissimè à Dn. D. Pet. Musæo afferitur, quod  
mediatus influxus, non sit influxus, cum de Essentia influxus sit,  
ut immediate fiat. Cum igitur dicitur causam moralem non re-  
vera influere, sensus hic est, quod ipsa in se immediate non com-  
municet esse effectui, notanter dicitur *immediate*, alias enim non  
negari potest, quod ad effectum concurrat Causa Moralis media-  
te, nempe interventu Causæ Physicæ, ut v. gr. licet Incendiarius  
non immediate domum comburat, nihilominus tamen mediante  
igne tanquam causa physica ipsam facit combustionem. Proinde  
Causæ Morali qua talis realis influxus non competit, cum ut talis  
s. ut moralis physice in effectum influere nequit. Non autem o-  
mnis in genere ipsi repugnat influxus, sed saltem immediatus  
physicus ac realis, quantum enim in se est, conferre aliquid repu-  
tatur ad effectum in genere morum, & ita agit, propter quam a-  
ctionem quoque ei imputatur effectus. Quo pacto à Causa phy-  
sica etiam distinguitur, quæ reali influxu ad effectum concurrit  
secus Moralis quæ influxu reali non gaudet, hinc optimè B. Slev-  
vogt. Disp. 6. Acad. de Causa Morali §. 6. inquit: *Physica Causa*  
*quatenus talis reali influxu & per suam Entitatem jam existentem*  
*ad effectum concurrit, sive sit naturalis sive supernaturalis, sive mate-*  
*rialis s. spiritualis, nam omnium bac in parte eadem est ratio, &*  
*quæcumque Causa physice influere dicitur in effectum eam oportet, ut*  
*illum actione reali producat, idque per suam Entitatem non alienam*  
*quod si non facit, physica etiam vocari nequit. Moralis nec reali in-*  
*fluxu ad effectum concurrit, nec eam producit per suam Entita-*  
*rem, sed per Entitatem Causæ Physicæ.* Rem declarabimus Exem-  
plo. Medicus ægrotantis producit sanitatem non per suam, sed  
per medicamenti Entitatem & virtutem, & sic actione non pro-  
pria & reali, sed rei alterius, propterea Medicus curationis &  
restauratæ sanitatis Causa Moralis est, illique adscribitur effectus,  
ac si physice causasset eundem. Ulterius quoque notamus quod  
Causa